EXPLICIT YSTORIA ECCLESIE TERCIE IN LIBRO SECUNDO.

Incipit explanatio supradicte ecclesie.

Angelo pergami ecclesie scribe. Hec dicit qui habet gladium ex utraque parte acutum. Scio ubi habitas ubi sedes est sathane. Omni ecclesie dicit. quia ubique sathanas habitat. Tronus autem sathane homines mali sunt. Recitur autem ad speciem quia licet isti soli dicat ubi tronus est sathane tamen in ista septem figurate sunt tocius septiformis ecclesie gesta sunt specialiter increpat aut laudat dicens. Et tenes nomen meum et non negasti fidem meam in diebus antiphas testis meus fidelis qui occisus est apud uos ubi sathan habitat. Sed habeo aduersus te pauca. Utique aduersus alia menbra non a quibus dicit et non negasti fidem meam sed ad ea menbra dicit se habere que diximus tronum esse sathane ubi tenent doctrinam balaham. quibus dicit.

Quia habes ibi tenentes doctrinam balaam qui docebat balaac mittere scandalum coram filiis israel. ut manducarent ydolis immolata et fornicarentur. Post quam dixit ibi habitas ubi tronus est sathane. idest ubi temptatio non deficit et perdicio multos efficit reos. laudat ecclesiam quod teneat confessionem nominis christi. et non neget fidem suam etiam et cum fide martirum honore decoretur et ab ipsis hoc paciatur a quibus christus passus est qui unus antiphas testis fidelissimus nuncupatur qui occisus est in seculo isto. ubi sathanas qui latine uocatur aduersarius dicitur habitare.

Sed tamen habet aduersus ecclesiam dominus aliquid eo quod sint tenentes doctrinam balaham. Balaam enim interpretatur latine: uanus populus siue sine populo eo quod et ille uanus fuit. et populum uanum genuit uel absque substancia. Balaam enim typus est aduersarii qui non congregauit populum ad salutem nec in multitudinem saluande plebis gaudet. Sed dum omnis perdidit. et sine populo uel absque substancia remanserit. tunc exultat. ipse est qui docuit balaac mittere scandalum coram filiis israel. Balaac enim latine dicitur precipitans. siue deuorans. ipse precipitauit israel ut consecrarentur ydolo fegor et deuorauit eos morsibus uoluptatis et luxurie. Ad huius similitudinem dicit

2011 Ministerio de Cultura